35

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

OBSERVATIONES PRACTICAS

CIRCA VSVM

BELLADONNAE,

IN

MELANCHOLIA, MANIA, ET EPILEPSIA,

QVAM

CONSENSV ORDINIS MEDICI

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES HENRICVS MV̈NCH

CELLENSIS.

D. XXIII. M. DECEMBR. MDCCLXXXIII.

GOETTINGAE,

Litteris IOAN. CHRIST. DIETERICH.

ACAD. TYPOGR.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

D. ERNESTO GODOFREDO BALDINGER

SERENISS. PRINCIP. LANDGRAVII HASSO-CASSELANI CONSIL. AB AVLA ET ARCHIATRO PRIMARIO ILLVSTR. COLLEG. CAROLINI PROF. PRAX. ORDINAR. NOSOCOMII CHARITATIS IN REBVS MEDICIS DIRECTORI, PHARMACOPOLII AVLAE INSPECTORI, COHORTIS PRAETORIANAE EQVITVM, LEGIONIS PRAETORIANAE PRIMAE PEDESTRIS, IVVENVM NOBILIVM, STIPENDIO PRINCIPIS MILITIAM DISCENTIVM MEDICO ORDINARIO SOCIET. ANTIQVITAT. CASSELLIS MEMBR. ETC.

PRAECEPTORI ET FAVTORI

DEVOTA ET PIA MENTE

VENERANDO

ET

PATRI OPTIMO

IOANNI HENRICO MVNCH

DIOECESIS CLÖTZENSIS IN DVCATV CELLENSI SVPERINTENDENTI SVMME REVERENDO

STVDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

CONSECRAT

AVCTOR

IOANNES HENRICVS MVNCH.

PRAEFATIO.

Propoſitum iam dudum diſſertationis argumentum circa Belladonnae in mania, melancholia, et epilepſia, efficaciam ſumſi — non eo ſcopo, quod eam plantam, ſpecifico more, contra hos triſtes morbos agere putem, ſed quod vires, multa experientia comprobatae, cauſis horum morborum congruant, ſaepeque illos tollant, etiamſi cauſam detegere non poſſumus, tunc quoque ſaepe auxilio fuit eximio planta noſtra.

Multis videri poterit paradoxum, quod tantum felices, morborum hacce planta obpugnatorum, euentus narrauerim, cum

cum et ſaepe vanum adhibitum fuerit remedium, attamen prolixitate nimia ac ſuperflua tunc abundaſſet diſſertatio. Plurimae enim tunc obſeruationes et a patre et a GREDING inſtitutae, tam felices, quam infelices adducendae fuiſſent. Patris autem optimi conſilium eſt; quae collegit experimenta circa vſum Belladonnae, tam in his, quam in aliis morbis, luci tradendi.

Omitto deſcriptiones horum morborum, cum iam multi, praecipue LORRY et TISSOT hanc materiem conſummarint, et ſolummodo eas horum morborum adducam cauſas, quas Belladonna tollere poteſt.

---

§. I.

§. I.

Quod medici veteres, *hyoſcyamum*, *cicutam*, *mandragoram*, *ſolanumque*, plantas, quae ſummo iure inter narcoticas recenſeri debent, quae, nimia doſi ſumptae, tanquam venena nocent, interne in variis morbis adhibuerint, nemini ignotum erit, qui nempe ſcripta eorum legat.

Praecipue haſce adhibuerunt plantas, vbi ſomnus promouendus, et dolores mitigandi erant.

Hic mihi disquirendum eſſet; an illorum ſolanum noſtra *Belladonna* ſit, nec ne? Sed omnes qui huic rei operam dederunt, fatentur, hanc rem difficile explorandam eſſe, cum illarum plantarum deſcriptiones vel nullas, vel valde incompletas reliquerint.

Si deſcriptionem *Dioſcoridis a*), quam nobis de *Strychno manico* reliquit, et THEOPHRASTI *Mandragorae* deſcriptionem *b*), quas plantas medicorum nonnulli pro *Belladonna* habuerunt, perlego

a) eiusd. opera omnia Libr. IV. c. 74. edit. ANTONII SARVSENI 1598. p. 272.

b) THEOPHRASTI ERESII opera omnia lat. et graec. a DANIEL HEINSIO p. 121. 179. 180.

lego; non audeo ex illorum deſcriptionibus aſſerere, quod ſub eorum planta, Atropam Belladonnam L. intellexerint. Et *Mathiolus* ipſe, optimus *Dioſcoridis* commentator *c*), valde dubitat, an Belladonnam deſcripſerit. Dicit enim: quinimo crediderim hanc (nempe Belladonnam) eſſe ſolani quintam ſpeciem, antiquis ſcriptoribus incompertam. Quod THEOPHRASTI Mandragoram attinet; haecce planta, ſecundum IOHANNIS BAVHINI opinionem *d*), proxime ad Belladonnam accedit.

Sed ne iuſto diutius in his morer, cum haecce disquiſitio me a ſcopo meo nimis abduceret, cumque eorum plantis, quas nonnulli pro Belladonna ſumſerunt, contra eos morbos, de quibus loquar non vſi fuerint, neque reliquas eorum plantas narcoticas contra hoſce morbos commendauerint; vnicum HIPPOCRATEM adhuc adducam, qui *Mandragoram* in *melancholia* et *conuulſionibus* laudat *e*). Ille enim l. c. dicit: "ſi aegroti triſtes et anxii ſunt, et ſe ſtrangu- „gulare volunt, radix mandragorae mane in potu dari poteſt, ſed mi- „nore pondere, quam quod inſanire facit. Et in conuulſionibus „ignis ab vtraque lecti parte ſuccendatur, et mandragorae radix in „potu praebeatur, minori pondere, quam quod inſaniam facit."

An haecce Mandragora, Atropa Mandragora L. ſit, vt nonnulli crediderunt, an alia planta narcotica, neſcio. Forſan haecce HIPPOCRATIS regula, nonnullis medicis anſam praebuit, plantas narcoti-

c) eiusd. Commentarius Venetiis 1570. p. 680.

d) eiusd. hiſt. plant. vniu. Ebroduni. 1651. p. 611.

e) De locis in homine cap. XIII. CHARTER Tom. VII. p. 372.

coticas, tam in conuulſionibus, quam in melancholia et mania explorandi.

Si ad alios me conuerto, medicos, qui ſeculis decimo quarto, decimo quinto et ſexto vixerunt, qui iamiam plantarum deſcriptiones accuratiores nobis tradiderunt, ſimulque earum vſum medicum annotarunt; facillime Belladonna, inter reliquas eorum plantas narcoticas ſolanaceas, cognoſci poteſt. Laudant quoquoque eius vires contra varia morborum genera, praecipue ad dolores mitigandos, ad ſomnum promouendum, et in hiſce caſibus, vbi veteres mandragora vſi fuerunt, ſed de huius plantae vſu in *melancholia*, *mania*, et *epilepſia*, quantum et mihi operam dederim, libris eorum euoluendis, nil inuenire potui. De remediis Belladonnae analogis quidem nonnulli mentionem fecerunt, quod contra hos morbos vtilia eſſent; ſic e. c. PARACELSVS tincturam quandam ex mandragora et hyoſcyamo contra maniam, et MAYERNE *f*) ſemen hyoſcyami tanquam egregium remedium contra epilepſiam commendarunt.

§. II.

Huius igitur plantae vſus, contra *melancholiam*, *maniam* et *epilepſiam*, recentiorum medicorum inuentio fuit.

Quum noſtris temporibus, venena magis in medicamenta mutarentur, cum *illuſtr.* STOERCK tam multa experimenta felicia cum plantis alias ſuſpectis inſtitueret; etiam *Bellodonna*, quae cum hisce plantis vires adeo ſimiles habet, magis magisque ex empiricorum manibus educebatur, et a medicis in variis morbis adhibebatur.

f) THEODOR. MAYERNE prax. libr. I. c. 7.

Quod contra rabiem caninam *g*), cancrum *h*), ſcirrhum *i*), obdurationes glandularum *k*) etc. haec planta adhibita ſit, praetermitto, et ad illos me ſolummodo conuerto, qui hoc remedio in mania, melancholia, et epileſia vſi fuerunt.

Celeb. GREDING et *patrem* Venerand. itaque primos inuentores agnoſco, qui ambo, vt ex eorum obſeruationibus videri poteſt, Belladonnam in epilepſia adhibuerunt. Sed GREDING primum obſeruationes ſuas luci tradidit in LVDWIGII aduerſ. med. pract. Tom. I. p. IV.

Poſt illum *illuſtr.* STOLLE ſua experimenta, cum extracto Belladonnae in Chorea S. V. et epilepſia inſtituta, in rat. medendi Tom. III. palam fecit.

An SIGESBECK re vera Belladonnam vt HEVCHERO (vid. eiusd. Nou. prouent. p. 28 de Solano) narrauit, contra Maniam adhibuerit, neſcio. Mihi itaque videtur, quod EVERS et *pater* meus etiam contra melancholiam et maniam in ſpecie primum adhibuerint.

§. III.

Quid anſam praebuerit, hancce plantam in his morbis explorandi, cum certitudine aſſarere non audeo.

1) For-

g) B. F. MÜNCH diſſ. de Belladonna efficaci in rabie canina remedio. Goett. 1781.

h) ALBERTI de Belladonna etc. Hall. 1739. LAMBERGEN, de Carcinomate etc. vid. HALLERI diſp. pract. Vol. II. BELLOT, vtrum in Cancro Belladonna etc. Par. 1760. Journal de Medecine par VANDERMONDE Tom. XIV. p. 108.

i. k) hic multi adducendi eſſent auctores, quos omitto.

1) Forſan cognatio rabiei caninae cum melancholia et mania, qui morbus iam a MAYERNE *l*) temporibus hoc remedio obpugnatus eſt?

2) Forſan vires huius plantae ipſae, de quibus mox loquar, quas contra horum morborum cauſas exerit? —

3) Forſan vires huius plantae analogae aliarum plantarum narcoticarum viribus, *hyoſcyami, ſtramonii, mandragorae*, quae plantae contra hos morbos adhibitae fuerunt?

Sed adhuc plures viae excogitari poſſunt, in quas quis incidere potuiſſet.

§. IV.

Quum Belladonnae vires ſaepe ſaeprius maniae, melancholiae, et epilepſiae *cauſis* reſpondeant; non miror, hanc plantam, ſecundum indicationes adhibitam, ſaepe hos morbos ſanaſſe. Hoc §. itaque breuiter huius plantae praecipuas vires diſquiram, quae his morbis opponi poſſunt.

1. *vis reſoluens.*

Belladonnam remedium eſſe quam maxime reſoluens, res eſt notiſſima, omnesque medici, qui hanc plantam contra ſcirrhos, et tumores omnis fere generis adhibent, quotidie adhuc eius vim reſolventem, cum ſummo aegrotorum leuamine, experiuntur. Ipſe ſaepiſſime teſtis fui ocularis, *patrem* meum, magnum aegrotorum numerum a talibus tumoribus feliciter curaſſe. Ipſe vi eius reſolvente a tumore glandulae ſubmaxillaris, poſt morbillos orto, liberatusſum, qui cicutae, aliisue remediis reſoluentibus pertinaciter re-

 ſiſte-

l) vid. eiusd. Prax. med. Syntag. alt. Tract. de morb. ext. p. 136.

ſiſtebat. Ipſe ſaepe ſaepius hanc plantam, in collegio clinico Gottingae, contra tales tumores feliciſſimo cum euentu praeſcripſi, vbi alia remedia reſoluentia nil praeſtarent. Hic etiam obſeruationes GREDINGII m) adducere poſſim, vbi Belladonna contra icteros pertinaciſſimos, ab obſtructione in hepate ortos, feliciter vſus eſt. Etiam *illuſtr.* MVRRAY, praeceptor pie colendus, nobis in collegio exempla narrauit, vbi icteros pertinaces, breui tempore cum hac planta ſanarit. Sed ad alias Belladonnae vires progredior.

2. *vis narcotica*, *ſtupefaciens*.

Haecce vis iam veteribus cognita fuit, et hanc ob rem ad dolores leniendos et ſomnum promouendum hac planta vſi fuerunt. Et medici nonnulli recentes, propter eius vim ſtupefacientem, quotidie adhuc in morbis ſpaſticis dolorificis Belladonnam adhibent. Propter hance vim, qua nimia doſi ſumpta, ſymptomata valde grauia, immo mortem affert, inter venena recenſita fuit, eique nomina, ſolanum lethale, ſolanum furioſum etc. data ſunt, eiusque vſus internus execrationi fuit. vid. Diſſ. *fratris* dilectiſſimi B. F. MÜNCH de Belladonna etc. §. XII.

Belladonna, hac vi narcotica, ſtupefaciente praedita, neruos obtundit, eosque contra irritamenta illis moleſta, inſenſibiles reddit. Quam ob rem etiam Mauri ſuccum huius plantae, ſicut Turcae opium, bibunt, ad curas illorum domeſticas debellandas, et nonnulli Belladonnam, ſicut opium, ante amputationes commendarunt.

3. *vis excretiones promouens*.

Belladonnam diaphoreſin promouere, et maiori doſi ſumptam, ſudorem pellere, illi quotidie experiuntur, qui ea vtuntur, et GREDING

m) Aduerſ. med. pract. Tom. II. p. 314. ſeq.

DING *n*) hanc Belladonnae virtutem praecipue apud aegrotos ſuo obſeruauit.

Nec minus vrina ab illa pellitur *o*). Nonnunquam etiam, ſed tamen rarius diarrhoea poſt eius vſum oritur *p*). Rariſſime ſaliuatio *q*).

Vim eius menſtrua pellendi, praecipue EVERS et *pater* meus obſeruarunt, et EVERS *r*) ipſe dicit: Belladonnam ſpecifice modo in vterum agere, eamque ob rem facile abortum promouere. Fluxum haemorrhoidalem etiam promouet ſecundum patris obſervationes.

4 *vis expellens.*

Qua vi predita, in morbis, qui ab exanthematibus retrogradis, ab arthritide, rheumatiſmo, et podagra retrograda, vlceribus exſiccatis oriuntur, felici cum euentu dari poteſt.

§. V.

Nunc ad illas me conuerto cauſas, quae hoſce morbos producere poſſunt, ſed ſolummodo ad illas, quibus Belladonnam opponere poſſumus, reliquas omnes praetermitto.

Axioma eſt in medicina; easdem cauſas, ſi quoque gradu vel minore vel maiori operantur, ſecundum variam corporis diſpoſitionem

n) aduerſ. med. pract. Vol. I. p. 696.

o) ibid.

p) l. c. p. 697.

q) l. c. p. 698.

r) Schmuckers vermiſchte chirurg. Schriften. B. II. p. 92.

nem vel ad hunc, vel ad illum morbum varios ſaepe morbos producere.

Tale etiam axioma eſt, quod melancholia, mania et epilepſia, morbi tem prope cognati, ex iisdem fere cauſis oriantur. Si autem diſpoſitio vel in cerebro ipſo, vel in neruis ad epilepſiam maior eſt, quam ad alios morbos, tunc ab ea cauſa, quae alias melancholiam, vel maniam, vel alium morbum produceret, epilepſia oriretur et vice verſa.

Nunc ad cauſas ipſas me conuerto, ſed vt iam antea dixi, illas ſolummodo adduco, quibus Belladonna reſiſtere poteſt, reliquas, e. c. vbi vitium in cerebro ipſo vel in eius integumentis etc. adeſt, omitto.

Cauſae, quae hos morbus producere ſolent, ſunt vel *materiales*, vel *immateriales*, vel vtrumque.

Cauſae immateriales hos morbos vel ſubito, vel gradatim producunt. Subito, ſi e. c. terror ingens vel ira ſenſorium commune ita afficit, vt talis morbus ſubito fiat, quod praecipue tunc fieri ſolet, ſi iam diſpoſitio adeſt.

Talis terror vel ira ingens quoque gradatim morbum efficere poteſt; dum functiones corporis animales turbat, illasque cauſas producit, quas materiales nomino.

Cauſis immaterialibus adnumero omnia animi pathemata, ſi gradu nimio animam turbent, e. c. triſtitia magna diu protracta, gaudium nimium, terror vehemens, ira ſumma, honor laeſus, amor inſanus etc.

Omnia quae neruos irritant, et quidem illo gradu, qui diſpoſitioni ad hunc morbum conuenit, morbum producent.

Hic

Hic ſequentes cauſas materiales recenſeo; infarctus corruptorum nimis ſpiſſorum in ſyſtemate vaſorum inteſtinorum ſtagnantium, (humor atrabilarius veterum) praecipue vbi nimia ſpiſſitudo, vel ſtrictura ſpaſtica, cauſa ſit, obſtructiones glandularum meſenterii, vermes inteſtinorum, materies tranſpirabilis ſuppreſſa, fluxus menſtruus dolorificus ſiue ſuppreſſus, haemorrhoides ſuppreſſae, (praecipue a ſtrictnra ſpaſtica) exanthemata retrograda, ſcabies, herpes, tinea capitis retropulſa, vlcera antiqua exſiccata, materies varioloſa vel morbilloſa in corpore retenta, rheumatismus, arthritis, podagra retropulſa, dentitio difficilis etc.

Denique et materiales et immateriales ſimul adeſſe, ſeque vice verſa producere poſſunt.

§. VI.

Contra haſce maniae, melancholiae et epilepſiae cauſas, quae hos morbos ſecundum variam corporis diſpoſitionem vel facilius, vel difficilius, vel citius, vel tardius producunt, Belladonna vires habet egregias, quae illis opponi poſſunt.

Hoc §. breuiter haſce Belladonnae vires cum cauſis §. V. nominatis comparabo.

Propter vim eius reſoluentem §. IV. n. 1. contra hos morbos tunc vterer, ſi infarctus et obſtructiones in glandulis vaſisque inteſtinorum adeſſent, praecipue ſi hi infarctus vel obſtructiones ex nimia ſtrictura vaſorum ſpaſtica, vel nimia humorum tenacitate ortae fuiſſent; et perſuaſus ſum, Belladonnae ope obſtructiones et humores illos tenaces ſtagnantes acres atque irritantes reſolui, et per eius vim excretiones promouendi ipſam, vel per alia remedia, ſecundum illarum turgeſcentiam educi poſſe.

 Propter

Propter vim eius narcoticam, neruos lenientem §. IV. n. 2, adhibenda erit haec planta, ſi cauſae illae adſint immateriales, quae ſubito ſenſorium commune ita turbant, vt talis morbus oriatur, e. c. terror ingens, triſtitia ſumma, ira magna etc. Hoc in caſu animi tranquillitatem reſtituet, et idem quod opium efficiet, ſed ego Belladonnam cam ob cauſam praeferrem, quia ſimul omnes excretiones promouet, (quod opium minime facit) et tali modo cauſas illas materiales praecauet, quae poſtea malum pertinacius reddunt.

Propter eius vim narcoticam, dolores mitigandi, etiam hac planta vterer, vbi epilepſia a doloribus, a dentitione difficili, menſtruis dolorificis etc. oriretur. Propter hancce vim, etiam melancholicis, et maniacis hanc plantam praecipue darem, ſi triſtitia nimia confecti circa vnam ideam delirantes verſantur, et inſomniis pertinaciſſimis laborarent, hic enim ſomnus, quies, animi hilaritas apud illos redibit.

Ceterum, in omnibus fere horum morborum cauſis, quae irritando neruos afficiunt, et tali modo hos morbos producunt, certe vis eius narcotica, non inutilis erit, quia neruos, contra haec irritamenta inſenſiles reddit.

Vis eius excretiones promouens §. IV. n. 3. in omnibus horum morborum cauſis §. V. nominatis vſui erit. Omnia enim quae reſoluit, vel per primas, vel ſecundas vias e corpore eliminat, ſicuti GREDING paterque meus obſeruarunt.

Propter vires eius reſoluentes, narcoticas et pellentes, ſaepe fluxum menſtruum, et haemorrhoides ſuppreſſas, ſi conſtrictura vaſorum ſpaſtica, vel nimia humorum tenacitas, vti cauſa adſit, reſtituit, morbumque ſoluit.

Quum

Quum Belladonna etiam vi expellente gaudeat §. IV. n. 4. illa vterer, vbi retrogreſſiones exanthematum, ſcabiei, herpetis, tineae capitis, rheumatismi, arthritidis etc., tanquam cauſas detegere poſſem.

Nec deſpero, Belladonnam hoc in caſu multum praeſtituram fore, cum in ſcabie ipſa, in vlceribus, in arthritide, rheumatismo, tinea capitis, ſecundum patris aliorumque obſeruationes remedium ſit vtiliſſimum, cumque ſubinde ſcabiem retrogradam in priſtinum expellat locum.

§. VII.

Si cauſam horum morborum detegere non poſſem, ſi malum iamiam inueteratum ſit, non haeſitarem Belladonnam quoque tanquam remedium empiricum adhibendi. Certiſſime enim perſuaſus ſum, hanc plantam, eodem iure ſicut *opium*, *ſtramonium* et *hyoſcyamum* etc. inter remedia, contra hos morbos laudata empirica, numerandam eſſe, quia non ſolum vt illa vi narcotica, anodyna praedita eſt, ſed adhuc multo melius reſoluit et excretiones promouet Denique et Belledonna, ſecundum experientias, quas poſtea adducam, ſe iamiam tanquam tale remedium praeſtitit.

§. VIII.

Nunc varias Belladonnae contra hos morbos exhibendi methodos breuiter perluſtrabo.

1) GREDING ab initio, ne ſtatim nimia doſi noceret, granulum dimidium vel pulueris herbae, vel extracti, cum ſaccharo, terde die exhibuit, ſenſimque doſin ad ſesqui granum auxit. Deinde cum haec ſine moleſtia ferrent, extractum cum puluere herbae commiſcuit, et ſpatio viginti quatuor horarum

intra tres ad decem pilulas ponderis grani vnius vsque, partitis vicibus exhibuit.

2) EVERS, vid. Schmuckers vermiſchte Chirur. Schr. B. 1. p. 176. Ipſe nonnullas pulueris herbae Belladonnae doſes deuorauit, et expertus eſt; huius pulueris grana quinque doſin commodiſſimam eſſe, cui partes anaticas radicis rhabarbari puluerisati admiſcuit, et omni mane et veſperi exhibuit. Die duodecimo ſalis Sedlicenſis vncias duas ſumendas iuſſit.

3) STOLLE, vid. Rat. med. Tom. III. p. 405 ſeq. extracto, ex ſucco radicis recentis expreſſo vtebatur.

Puellae quinque annorum, chorea S. V. laboranti, huius extracti granulum vnum ad duo vsque in aqua ſoluta, ſpatio viginti quatuor horarum, partitis vicibus, propinabat. Puellae vndecim annorum de conuulſione chronica conqueſtae, eodem modo exhibuit. Puellae epilepticae tredecim annorum, ad octodecim grana vsque, et puero epileptico, tredecim annorum, grana viginti, ſpatio viginti quatuor horarum ſumi iuſſit.

4) *Pater* meus ſpatio quadraginta octo horarum ſolummodo doſin pulueris foliorum Belladonnae exhibet vnam, (rabie canina excepta), et hancce doſin, ſecundum diuerſitatem aetatis, conſtitutionis corporis aegroti, et morbi ipſius vel auget, vel minuit *s*). In initio, quum nondum cum hac planta tam familiaris eſſet vt poſtea, ſemper, vt eius obſeruationes docent, doſes maiores propinauit.

§. IX.

s) vid. eiusd. Anleitung wie die Belladonna zu gebrauchen u. ſ. w. p. 26.

§. IX.

Quaeritur cuius methodus optima ſit? Credo omnino, puluerem vel herbae, vel radicis extracto praeferendum eſſe. Certum enim eſt, quod per inſpiſſationem, etiam leni igne, partes huius plantae volatiles, quae nobis, praecipue in his morbis neruoſis, tam vtiles ſunt, quae praecipue vim eius narcoticam conſtituunt, exhalent.

Nec mihi placet methodus, hanc plantam in tam paruis doſibus ſexies et plus de die praeſcribendi. Nil enim certius eſt, quam quod tunc corpus noſtrum, et praecipue nerui, breui tempore cum hac planta tam familiares fiant, vt poſtea nil de efficacia ſentiant; et, niſi doſes ingenti modo augeres, quod autem natura, ſi longe duret, minime ferret, raro hos morbos tam pertinaces debellabis. Et hanc ob cauſam credo, quod GREDING tam raro in horum morborum curatione felix fuerit, praecipue cum extracto, et ſolummodo in tam parua doſi vſus fuiſſet. STOLLE quidem extracto feliciſſimo cum euentu vſus eſt, ſed in largiore doſi, ita vt puero epileptico tredecim annorum, per viginti quatuor horas, grana viginti propinaret.

Illa methodus, ſecundum ſententiam meam, omnibus itaque praeferenda erit, qua ſummus aegrotorum numerus, et quidem breviore tempore, reſtituitur; et haec eſt patris optimi methodus, ſecundum illam ille centum et plures epilepticos, et magnum melancholicorum et maniacorum numerum ſanauit, hasque obſeruationes, vt mihi promiſit, ſi tempus dabit, omnes luci tradet.

§. X.

Tanquam remedium empiricum, vbi horum morborum cauſam detegere non poſſim, ſecundum patris methodum hanc plantam adhiberem. Si illa ſecundum indicationes vti liceret, et alia remedia, cauſarum varietati adaequata, ſimul adhiberem, illaque diebus, vbi Belladonnam non exhibeo propinarem, talique modo celerius morbum vincerem. Sin igitur obſtructiones vel infarctus ſupponerem, omni biduo veſperi doſin, ſecundum aetatem, corporisque conſtitutionem variam, vel maiorem, vel minorem foliorum Belladonnae ſiccatorum et pulueriſatorum propinarem, et cum Belladonnae vſu, decoctum graminis, vel ſerum lactis coniungerem, praecipue vbi corpus ſiccum aridumque ſit, et cum hiſce remediis, diaetam vegetabilem, ſaponaceam exhiberem, poſteaque, ſecundum ſordium turgeſcentiam, (niſi per Belladonnam, vt nonnunquam fieri ſolet, diarrhoea oritur) vel emeticum, vel purgans ex ſale quodam medio, vtut EVERS fecit, praeſcriberem; ſimul corporis motiones modicas, animumque hilaritandi occaſiones commendarem.

Si obſtructiones menſium, vel haemorrhoidum hoſce morbos efficerent, venaeſectiones, ſi conditiones corporis id poſtularent, inſtituerem et, ſi molimina horum profluuiorum ſeſe oſtenderent, quoque remediis externis, ſanguiſugis, cucurbitulis, ſemicupiis etc. vterer ad tales fluxus promouendos, et ſic etiam, ſi aliae cauſae adeſſent, ſimul alia remedia, vſui Belladonnae, iisque cauſis, accommodata adhiberem.

§. XI.

§. XI.

Obſeruationes ipſae.

I. *in melancholia.*

1. EVERS *t*).

a) Initio anni 1771. ad virum atrabilarium melancholicum, annorum 54. vocabar. Ipſe mihi ſtatum, in quo verſabatur, narrare non potuit. Pulſus admodum paruus et rarus, reſpiratio profunda, anheloſa, ſomnus rarus, abdomen tenſum erat, et quouis quinto die aluus ceſſit. Aeger immobilis iacebat, quodcunque ori praebebatur, deuorabat, ceterum appetitu carebat.

Antea ſemper ſanus fuerat, et ſolummodo timore quodam, vt dicebatur, in hunc morbum proiiciebatur. Cauſam morbi in abdomine ſuſpicabar, eamque ob rem illi Belladonnam praebui. Omni veſpere pulueris foliorum Belladonnae et radicis rhabar. aa. gr. V. illi praeſcripſi, et die duodecimo purgans ex ſalis ſedlicenſis vnciis duabus. Poſtquam huius pulueris drachmas tres deuoraſſet, morbus euanuit. —

b) Menſe aprili 1771 virum annorum 46, qui per hebdomades nonnullas melancholia iam laborauerat, viſitabam. Facies eius erat flaua, tumida, oculi lippi, pulſus paruus, tardus, abdomen tenſum. Excreabat pituitam albam tenacem. Praeceſſerat exanthema ceruicem occupans, nunc autem retrogreſſum. Praeterea ſpiritus vini vſui iuſto plus indulſerat.

Exhibui illi, vt prius dicto, Belladonnam cum ſale ſedlizenſi, nec non fonticulus pedi ipſius incidebatur, qua medendi methodo,

t) Schmuckers vermiſchte Chir. Schr. B. 1. p. 177. ſeqq.

thodo, conueniente diaeta accedente, ſanitatem recuperauit perfectam.

c) Veniebat nuper ad me vir ſtaturae ſat magnae et macerrimae, opem a me poſcens. Symptomata eadem, vti in prioribus deprehendebantur, ſi fletum ſat frequentem, ac delirationis ſuauis ſpeciem exceperis. Conquerebatur de appetitu Bulimum referente, et ſudoribus nocturnis maxime debilitantibus.

Iam inſultibus melancholicis, octo praegreſſis annis, premebatur, a quibus ope V. S. et purgantium, liber euadebat. Melancholiae iungebatur dein epilepſia periodica, ope ſaponaceorum remediorum per quinque annorum ſpatium remota. Belladonna, vti antea, praeſcripta, viuendi rationem, non niſi ex lacte, oryza, fagopyro et vegetabilibus conſiſtere iubebam.

Vſu horum remediorum, vt antea adhibitorum ſesquimeſtri epilepſia cum ſudoribus ſecedebat. Redierunt appetitus, ſomnus, color faciei viuidus, et ſanitas tandem integerrima.

d) Menſe maio 1770 mulier 45 annorum, adſpectu triſtis, atque atrabilaria, dolores capitis continuos, cum pulſu paruo et tardo, ſuſurros aurium, artuumque tremores, aluum duram, atque inteſtina flatibus extenſa, timorem mortis, ſalutemque aeternam dubioſam conqueſta, iam, ante viginti annos, talibus ſymptomatibus obnoxia, nunc autem poſt lochiorum retrogreſſionem, ab illis, ſimulque tumore ſatis magno in hypochondrio ſiniſtro correpta, melancholica, poſt V. S. inſtitutam, Belladona vti coepit. Poſt paucos dies, aluus liquida, ſolita. Vomitus, qui nonnunquam antea aderat, ſiſtebatur, et pulſus plenior euaſit.

Die

Die decimo poſt Belladonnae vſum, portionem ſalis medii ſumſit. Poſtquam per tres hebdomades hac planta vſa fuiſſet, profluuium ſanguinis foetidi ex vtero, ſummo cum leuamine aegrotae, animaduertebatur. Belladonnae vſu ad diem 18. iunii vsque continuato, propter ſolidorum atoniam, Limatura martis cum rhabarbaro illi praebebatur, et feliciter curata eſt haecce aegrota.

2) *Patris u*).

a) I. B. puella XX circiter annorum, ſanitate valde ambigua fruens, nondum menſtruata, melancholia corripitur. Circa fluxus menſtrui periodum, morbi augmentum. Die 15. febr. 1771 pulueres foliorum Belladonnae octodecim ponderis granorum 10 accepit. Omni biduo, tempore veſpertino, puluerem vnum ſumſit.

Poſtquam omnibus pulueribus vſa fuiſſet, fluxus menſium reſtitutus et puella a melancholia liberata, ad hunc vsque diem optime valet.

b) E. H. Z. puer 15 annorum ex hereditario melancholicus, ſemper timens, illum quemquam occidere velle, die 18. nouembris 1771 nouem Belladonnae pulueres accepit, quibus ab hoc morbo liberatus eſt.

c) E. A. vidua 48 annorum melancholia correpta, die 12 februarii 1771, duodecim Belladonnae pulueres ponderis granorum 3-6 vsque accepit. Quibus ſumtis ſanata, et nunquam huius morbi recidiuam paſſa eſt.

d) M.

u) ipſe mihi haſce obſeruationes communicauit.

d) M. E. K. mulier 40 annorum, iam per duos annos melancholia laborans, poſtquam 12 Belladonnae pulueres ponderis granorum 3-6 vsque, a die 2 martii 1773, ad d. 29. huius menſis vsque ſenſim ſumſiſſet, ab hoc malo liberata egregie valet.

e) D. E. B. puella 18 annorum, nondum menſtruata, propter vrinae incontinentiam, qua nocturno tempore laborabat, valde proſtituta et irriſa, primum in triſtitiam magnam, et denique in melancholiam decidit. Die 3. maii 1773, duodecim Belladonnae pulueres, ponderis granorum 4 et 5 accepit. Quibus, ſecundum ordinem praeſcriptum, vſitatis, a melaucholia, ſimulque ab vrinae incontinentia curata eſt.

f) I. I. B. vir 30 annorum, melancholicus, noctu doloribus capitis atque inſomniis quam maxime vexabatur, die 18. maii 1773 duodecim Belladonnae pulueres, ponderis granorum 3-6 vsque, accepit, et ſanatus eſt.

g) O. S. L. iuuenis 20 annorum, melancholia et ſubinde mania correptus, praecipue dolores et anxietates, in infimo ventre, et inſomnia conqueſtus, die 29 decembris 1773, puluerem radicis rhabarb. ponderis ℈jj, et pulueres ſexdecim Belladonnae, ponderis grani 1-8 vsque, accepit. Primum puluerem rhabarbarinum ſumſit, deinde, ſicut reliqui, pulueribus Belladonnae vſus eſt, et praeter inſomnia, quae remanebant, bene ſe geſſit.

Ad ſomnum illi conciliandum adhuc ſexdecim Belladonnae pulueres deuorauit, et per octo annorum ſpatium bene valuit. Die 19. decembris 1781 melancholiae recidiua. Frater meus dile-

dilectiſſimus B. F. MÜNCH M. D., illi tres pulveres ex radice rhabarb. pond. ℈jj, et ſedecim Belladonnae pulueres propinabat. Quibus vſitatis, ab hoc morbo denuo liberatus eſt, et ad hunc vsque diem egregie valet.

§. XII.

Obſeruationes ipſae.

II. *in Mania.*

1) EVERS *w*).

a) Menſe iulio 1769 mihi denunciabatur, quod quidam equitum, excercitati ac velocis ingenii, ſubito aegrotaret. Die valde calido exercitationibus militaribus interfuerat, et poſtquam ſpiritu frumenti inebriaretur, et caſeum et panem devoraſſet, ſubito aegrotus domum in lectum portatur. Conuulſionibus vehementiſſimis correptus, ſurgit, parietesque, cubile circumdantes, confringit, ſuis manibus capiteque valde laeſis. Veſperi illum viſitans, valde debilitatum, eiusque pulſum debilem, ſpaſticum, extrema frigida, oculos toruos, reſpirationem profundam, anheloſam, abdomen tenſum inueni. Mutus atque immobilis, potum illi praebitum lubens deglutiuit.

Venaeſectione pluribus vicibus inſtituta, pulſus eleuabatur. Poſt vomitorium ſordes multae euacuabantur, ſed ſymptomata eadem remanebant. Poſt veſicatoriorum, et ſalis digeſtiui per nonnullos dies vſum, nil emendabatur, ſemper maniacus ſine febre remanſit. Eodem tempore mihi denunciabatur, iam huius aegroti matrem, eodem morbo laborantem, per octo annos

 in

w) l. c. p. 173.

in noſodochio maniaco detineri, ipſumque aegrum iam ante hunc morbum nonnunquam inſaniae ſigna praebuiſſe.

Propter abdomen tumidum, pil. ſcill. Edinb., et omni octiduo doſin ſalis ſedlizenſis, poſteaque magnam tartari tartariſati copiam, MVZELIO ſuadente, ad dimidium ſeptembris vsque, ſed ſine leuamine deuorauit. Abdomen vt antea tumidum erat, cumque hic morbi ſedem ſuſpicabar; ad Belladonnam confugiebam. Omni mane aegroto pulueris foliorum Belladonnae, et radicis Rhabarb. aa. grana 5, et die duodecimo vncias duas ſalis ſedlicenſis, ad aluum purgandam, propinabam, et haecce methodus repetebatur. Poſt doſin ſalis ſedliz. ſecundam, octo ſedes deiecit. Ceterum pulſus plenior atque celerior, abdomen mollius, colorque faciei rubicundior erat. Poſt corporis motiones, appetitus et ſanationis ſpes rediere. Poſtquam per ſpatium hebdomadum quinque, hanc curam in illo inſtituiſſem, ſubito in ſomnum, qui viginti duas horas durabat incidens, integer atque ſanus euigilauit.

b) Mulieri 50 annorum, mania laboranti, valde furioſae, omni mane et veſperi pulueris foliorum Belladonnae grana octo propinabam. Poſt primas doſes mutatio nulla, poſt quartam et quintam autem ſomnum incidebat in dulcem, ex quo expergefacta, debilis erat, potumque poſtulabat. Poſtea cum ſolummodo interdum deliraret, ſalis ſedlicenſis vnciis tribus ſumtis, Belladonnae cum rhabarb. aa. grana quinque ſumſit, et poſt dierum quatuordecim ſpatium, ſanitatem recuperauit integerrimam.

2. *Patris.*

a) M. A. puella 20 circiter annorum, quum illi non liceret, ſeſe viro, quem valde amabat, in matrimonium coniungere, primum melancholia corripitur, deinde vero furioſa maniaca fit. Poſt medicinam ſic dictam plagoſam, Peinae perpetratam, quotidie morbus ſit pertinacior, omnique modo haec infelix puella vitam ſuam finire ſtudet. Die 25 iulii 1770, ad puluerem herbae Belladonnae ponderis granorum 13 ſumendum, perſuaſa eſt, et poſtquam huius pulueris doſes tres ſumſiſſet, conualuit.

b) M. L. M. mulier 47 annorum, ſubito inſana et nonnunquam furioſa fit. Ceterum de inſomniis et anxietatibus praecordiorum conquerebatur.

Die 11 ſeptembris 1773, poſt Belladonnae puluerem ſudor copioſiſſimus, morbique leuamen. Die 12 et 15 huius menſis adhuc duos pulueres ponderis granorum 4 ſumſit et conualuit. Propter praecordiorum anxietates, quas adhuc ſentiebat, denuo nonnullis huius pulueris doſibus vſa eſt, et conualuit.

c) C. M. P. mulier 30 circiter annorum, poſt triſtitiam magnam, melancholia et per periodos mania laborans, die 4 Iunii 1781 Belladonnae puluerem ponderis granorum 3 ſumſit, et poſt ſudorem copioſum melius ſeſe habuit.

Die 5. 7. 9. tres pulueres ponderis granorum 3. 4. 5. ſumſit, et ſanata eſt. Poſtea ad recidiuam praecauendam adhuc tribus pulueribus vſa eſt, et ad hunc vsque diem optime valet.

§. XIII.

Obſeruationes ipſae.

III. *in epilepſia.*

1) GREDING *x*).

Ex GREDINGII obſeruationibus ſolummodo tres elegi.

a) n. 1. I. H. S. iuuenis 29 annorum epilepſia ab infantia laborabat, anno autem elapſo, ex quo carcere detinebatur, eadem crebrius vehementiusque correptus, in aedibus noſtris per nouem menſes immunis, menſe decembri eadem ſaepius et praeſertim nocte d. 28 decembris 1769 vehementer excruciatus, Belladonna vti coepit, cuius ad diem 6. martii 1770 drachmas quatuor cum dimidia ſenſim deglutiuit Die 1 ianuarii poſt leuem noctu acceſſionem, frigori febrili ſimilem, de corporis caloribus, nonnunquam ſubito accedentibus, crebra vrinae miſſione et membrorum laſſitudine conquerens, ſequente nocte binas eiusmodi paulo fortiores, cum vertigine, et ſiti expertus eſt. Die 3 ianuarii ſponte vomens, et vertiginoſus parum volatici caloris, et d. 8. binas eiusmodi acceſſiones cum imminuta vertigine, copioſiori vrina et aluo conſueto laxiore percepit. Die 7 ianuarii membrorum tremorem, qui duas horas durabat, cum inſigni oculorum hebetudine ſentienti ſequente die, poſt brachiorum concutientes ſpasmos, oculorum etiam dolor ardorque acceſſit, quae omnia tamen d. 12 ianuarii penitus euanuerunt. Die 15 ſeq. magnam vrinae copiam reddidit, et d. 18 ſubito clamando per breue tempus manibus pedibusque tremuit. Hinc cibos optime adpetens, valensque d. 4. februarii ſeqq. poſt ventris

x) LVDWIGII aduerſ. med. pract. vol. I. p. IV. p. 643.

ventris tormina continua die 6 ſeq. crebriore diarrhoea cum ciborum adpetitu imminuto laborauit; hinc Belladonnae loco aliis remediis adiutus, a d. 14 februarii demum ad d. 6 martii vsque, eadem denuo vſus eſt. Die 22 februarii autem de artuum tremore et laſſitudine conquerens, a d. 28 februarii quolibet mane per tres horas frigus quaſi febrile cum ſubſequente paruo, vel potius nullo calore et continuante laſſitudine, ſolo d. 5. martii excepto ſenſit. Hinc d. 7. martii Belladonnae loco, cortice peruv., aliisue adiutus, ab epilepſia quidem ad hunc vsque diem liber, qualibet tamen hebdomade bis vel ter, oriente praeſertim ſole, leuiſſimum, breuique deſinentem capitis calorem, cum leni quadam vertigine, ad finem maii vsque percepit. Nunc vero bene valet.

6) n. 7. I. M. S. 35 annorum d. 2. ianuarii 1770 bis vehementer conuulſus cum ſubſequente inſania, ad d. 4 vsque nihil deguſtauerat, hoc die autem Belladonnae pilulis, quarum ad d. 1 iunii vnciam vnam conſumſit, vti incipiens, bene dormiuit, pauloque pacatior factus, cibos bene adpetiit. Sequente nocte delirans, interdiu pacatus, vrinam crebro dimiſit, delirio, ad d. 14 ianuarii plus minus continuante. Poſt mediocrem d. 10 et 12 ianuarii longeque vehementiorem d. 13. epilepſiae paroxysmum ſatis pacatus, pilulas tamen ſaepius reſpuit. Die 22 ianuarii leuis inſultus cum ſubſequente diuturniore ſomno, et die 28 paullo vehementior cum clamore adcrant. Die 7. februarii parum inſaniens, pilulasque ſaepe reſpuens, d. 19 et 20 februarii epilepſia denuo aliquoties tentatus, per interualla iterum inſaniit. Cum vero d. 3 et 11 martii leui iterum

epi-

epilepſiae inſultu adficeretur, et ſequenti die victum contemneret, d. 30 martii, lene vomitorium ſexies aluum laxam cieuit, et ex eo tempore pacatiſſimus. Poſt leuiſſimos d. 18. 28. martii d. 6. 15. 20. et 26. aprilis d. 6. 7. et 27 maii inſultus bene valuit, ita tamen, vt interdum per breuia interualla paullulum inſaniret, de reliquo autem ad hunc vsque diem ſe longe melius, quam ante coeptam hanc curationem, haberet.

c) n. 8. Nobilis e generoſa ſtirpe oriundus, iuuenis 20 annorum hyoſcyami extracto quondam vſus, a catalepſeos et epilepſiae paroxysmis, quos capitis dolor, manuumque tremor ſudorque, cum praecordiorum anxietatibus, annunciabant, quolibet menſe ſemel vel aliquoties vehementer correptus, iam inſignem mentis hebetudinem contraxerat. Cum igitur d. 8. 9. et 10 ianuarii 1770 eiusmodi paroxysmis quater ſat vehementer laboraſſet, a d. 26 ianuarii vsque ad d. 5 iulii drachmas nouem Belladonnae ſenſim deglutiuit. Die 27 ianuarii iam de parua oculorum hebetudine et oris ſiccitate conquerens, leuia ventris tormina ſenſit, ſequenti tempore ſaepius reuertentia. Die 15 februarii leuis capitis dolor, ſequente die, ſcapulas occupauerat. Leuem autem poſt iram d. 3 et 4 martii capitis dolorem cum praecordiorum anxietate, d. 5. mediocris et d. 6 ſex leues cum vehementi, d. 7. denuo mediocres epileſiae inſultus, cum ſumma anxietate, et lateris ſiniſtri dolore. Sanguis d. 9. martii e brachio miſſus, denſus tenuique cruſta inflammatoria obductus erat. Lene emeticum d. 11. 13 et 15 martii incredibilem pituitae copiam, tam ſuperius quam inferius ſuſtulit. Parua tamen anxietas a d. 20 ad d. 30 martii per interualla reuertebatur d. 7

aprilis

aprilis leuis inſultus. Die 17 vero bis ſponte vomens et ſequenti die ructus putridos ſentiens d. 19. lene denuo emeticum cum leuamine ſumſit etiam d. 16. maii.

Leuiſſimi d. 22 aprilis et d. 19. maii inſultus, d. 20 paullo fortior, die 21 maii leuis epilepſiae inſultus. Die 29 aprilis ſeqq. aluum conſueto laxiorem, d. 4 et 6 iunii leuiſſimum capitis dolorem et d. 14 crebro vrinam mittendi ſtimulos ſentiens, d. 16 iunii epilepſiam ex ſignis imminentem, leni vomitorio illico ſumto, feliciter auertere potuit, ad hunc vsque diem ab epilepſia liber egregie valens.

2. STOLLE *y*).

Etiam in Chorea S. V. et conuulſione chronica illuſtr. STOLLE Belladonnam felici cum ſucceſſu adhibuit, ſed haſce omitto.

a) Cuidam puellae, pauperrimae, orphanae 13 annorum, a triennio conuulſae epileptice, extractum Belladonnae dedi; doſi initio minutiſſima, deinde largiori, vt intra 24 horas grana 18 in ſex doſes diuiſa abſumeret. Cum ante vſum remediorum ſingulis diebus ſaepius conuelleretur, id nunc erat lucrata, vt integris diebus a paroxysmo epileptico libera perſtaret. Integris quondam 18 diebus continuis morbus ſiluit, rediit tamen poſt modum, vtut minus frequenter. Paroxysmus mihi videbatur plerumque eo grauior eſſe, quo longior praeceſſerat ab eo immunitas. Experimentum proſequi non licuit, cum puellam quidam eius cognatus e noſocomio abduceret.

b) Fi-

y) Rat. med. T. III. p. 408. ſqq.

b) Filius *Conſiliarii Sz..* quarto aetatis anno initio ſaepius quodam quaſi terrore momentaneo, et leuicula, ſubitanea, brachiorum conuulſione perſtringebatur. Cauſam ignorabant. Ea affectio et crebrior euaſit, et diuturnior grauiorque, vt tandem in veram epilepſiam abierit, cuius aſſultus non raro quotidianos, et quauis die plerumque ſaepius perferebat. Nonnunquam integris quatuor diebus, quin et multo pluribus, immunis a paroxysmo fuit, absque manifeſta ratione.

Innumera remedia, per hos annos adhibita nil effecerunt, niſi vt morbus a quouis fere medicamine, anthelminticis variis, moſcho, camphora, caſtoreo, valeriana, aſſa foetida, marte, foliis aurantiorum, cortice peruuiano, foedo quoque et ſordido menſtrui ſanguinis potu intendi, et frequentius affligere videretur. Annum agebat decimum tertium, quo mihi concredebatur. Dedi exacta aeſtate anni 1779 extractum radicis Belladonnae; minutiſſima primum doſi, ſenſim aucta, vt ſub finem anni eiusdem intra nycthemeron grana 20 decouaret in quinque doſes diuiſa. Paroxysmi ab aſſumto extracto mitigati primo, dein totis ſeptimanis non rediere; reuerſique imperfecti fuerunt, et qui aegrum in terram non proruerunt, neque mente priuarunt, et cito euaneſcerent, praecipue ſi quis fortiter alloqueretur trementem aegrum. Verum noctu, atque inter dormiendum nihilominus ſubinde verus perfectusque rediit epilepſiae inſultus.

Iuſſi vt doſin dormitum eunti, et aliam media de nocte propinent. Non rediit amplius acceſſio nocturna; interdiu vero rarius atque imperfecte. Poſtea ad machinam electricam aeger

quoti.

quotidie accedit. Sub vſu electricitatis et pilularum ex Belladonnae extracto, nullus eſt iam a multis ſeptimanis epilepſiae paroxysmus, neque imperfectus obſeruatus.

3. THEDEN z).

a) Miles tormentarius HORACK qui tres circiter annos pleuritide, diarrhoea, motibus epilepticis, et oedemate pedum laborans in noſocomio verſatus fuerat, anno 1774 denuo epilepſia tuſſique ſicca corripitur. Epilepſiae paroxysmi omni biduo veſperi revertebantur. Remediis purgantibus lenioribus praemiſſis, Belladonna cum Rhabarbaro, ſecundum EVERS methodum, vti coepit. Interdum ſale mirabili GLAVBERI expurgatus eſt. Epilepſiae inſultus ſenſim ſenſimque diminuti ſunt, et denique euanuerunt. A tuſſi exſpectorantibus liberatus eſt, et nunc poſt quatuor menſium curationem optime valet.

4. *Patris.*

a) A. M. S. puella 14 annorum praeceptoris C. vltra modum irati flagellationibus in ſchola valde concuſſa, epileptica fit. Iam per ſex annos epilepſia laborans Belladonna vti coepit. Epilepſiae paroxysmis admodum irregularibus affligebatur, nonunquam per 24 horas quatuor vel quinque, nonnunqnam per aliquot dies vel vnus, alterque aderat paroxysmus. Ante epilepſiae inſultum ſentiebat anxietates praecordiorum capitisque dolorem. Propter ſcirrhum in facie, (nam contra epilepſiam nondum Belladoninna vſus fuerat pater meus) pulueres foliorum Belladonae accepit tres ponderis granorum 8. Die 25 februarii

 1769

z) eiusd. neue Bemerkungen u. ſ. w. 2 Theil p. 212.

1769 illi veſperi dormitum eunti prima huius pulueris doſis propinata eſt, quae d. 26 mane magnam ſudoris copiam promouit, tormina aderant leniora, ceterum ſomnus tranquillus, paroxysmus nullus.

Die 27 februarii poſt doſin ſecundam tormina, ſitis magna, vomitus bilis atrae, dolor punctorius in hypochondrio dextro, ſudor copioſus, paroxysmus nullus.

Die 29 februarii doſi tertia ſumta, adhuc dolores in hypochondrio dextro ſentiens, denuo bilem euomuit atram et ab epilepſia non amplius vexabatur.

Per annum ſana d. 23. 24. 25. februarii 1770 denuo epilepſia correpta Belladonna vti coepit, et quatuor pulueribus, vt antea, vſitatis, conualuit, et ad hunc vsque diem bene valet.

b) C. M. B. puella 19 annorum d. 8 maii primum epilepſiae paroxysmum perpeſſa, ſed per annum libera, et praeter fluxus menſtrui defectum ſana, d. 9. et 10 aprilis 1770 denuo epilepſia correpta tres Belladonnae pulueres ponderis granorum 8. d. 14. 16. et 18. aprilis deglutiuit, quibus fluxus menſtruus reſtitutus et epilepſia curata eſt. Nunquam poſtea amplius epilepſiae obnoxia fuit.

c) M. P. 11 annorum poſt raphanium epileptica, per ianuarium 1771 vehementiſſimis epilepſiae paroxysmis afflicta, d. 22 ianuarii ſex Belladonnae pulueres ponderis granorum 6 accepit. Quibus, vt reliquis, conſumtis, ad d. 2. martii vsque ab epilepſia liberata eſt. Quum autem d. 3. et 8. martii denuo inſultibus epile-

epilepticis affligereretur, adhuc 12 Belladonnae pulueribus vſa eſt et ad hunc vsque diem ſanitate fruitur illaeſa.

d) Puella robuſta 14 annorum poſt iram vehementem epilepſiae obnoxia erat. Epilepſiae paroxysmi valde irregulares interdum de die decem, interdum per interuallum octo dierum nulli reuertebantur.

Die 17 ianuarii 1771 nouem accepit Belladonnae pulueres, quos vt reliquos ſingulatim conſumſit, quorumque ope non ſolum magna vermium copia depulſa, ſed etiam epilepſia debellata eſt.

e) A. C. B. puella 17 annorum, poſt V. S. inſtitutam propter terrorem vehementem perpeſſum, ſubito epileptica fit. In initio paroxysmi plures, dein ſolummodo omni octiduo epilepſia corripiebatur. Die 17 aprilis 1771 illi ſex Belladonnae pulueres ponderis gr. 8. propinati ſunt, quibus vſitatis d. 26 aprilis epilepſiae paroxysmus valde exiguus, poſteaque nullus.

f) H. W. S. puer 4 annorum poſt morbillos epilepticus tabidusque d. 19 iunii 1772 puluerem Belladonnae ponderis gr. 1. ſumſit, horumque pulurum vſum, quorum pondus ad 4 grana vsque ſeuſim augebatur, per menſem continuauit. Epilepſiae paroxysmi ſenſim ſenſimque minuebantur et d. 18 iulii vltimo laborabat paroxysmo. Dum haece curatio adhuc continuaretur, etiam vires et appetitus proſtratus ſenſim redierunt, et hicce puer, qui antea in tam miſerabili verſabatur ſtatu, nunc optima fruitur ſanitate.

g) I. B. puer annorum 6 vermibus laborans ſaepeque ſpasmis vexatus anno 1774 epilepſia corripitur. Die 4 aprilis hemiplegia afficitur et poſt illam epilepſiae paroxysmi, tam numero, quam vehementia increſcunt, ita vt nonnunquam de die octodecies epilepſia affligeretur. Poſt aquae pyrmontanae et anthelminticorum vſum, morbus quidem minuitur, ſed non curatus eſt. Ideo die 28 octobris Belladonna a granulo vno ad 4 vsque per duos menſes vſus eſt. Die 28. nouembris lumbricus magnus cum leuamine expulſus eſt. Die 29. 30 vomitus et diarrhoea. Die 1 et 2 decembris epilepſiae ſub die paroxysmi nulli, verum noctu atque inter dormiendum ſubinde verus perfectusque epilepſiae inſultus. Die 28 decembris denuo a lumbrico magno liberatus eſt, atque epilepſia etiam noctu euanuit. Poſtea adhuc plures vermes expurgauit, et non ſolum ab epilepſia, ſed etiam ab hemiplegia liberatus ad hunc vsque diem optime valet.

h) S. puer ex nobili ſtirpe oriundus, vndecim annorum a tertio iamiam vitae anno ſanitate valde ambigua fruens, doloribus capitis vehementiſſimis, cutisque exanthematibus vexatus, die 10 auguſti 1780 primum epilepſia affligitur. Quotidie matutino tempore hora nona epilepſiae paroxysmus reuertebatur.

Die 13 ſeptembris Belladonna vti coepit. Poſt ſeptem priores pulueres ponderis gr. 3. 4. et 5. paroxysmi vehementiores, exanthematis ſcabiei ſimilis fere exſiccatio et humoris cuiusdam acris e naribus effluxus. Poſt doſin autem huius pulueris octauam, nonam, decimam ſeqq. ponderis gr. 5. et 6. exanthematis de nouo propulſio, ſanguinis e naribus profluuium, et

paro-

paroxyſmi epileptici valde diminuti. Die 19 octobris purgante quodam cum leuamine vſus eſt. Die 23 octobris multum ſanguinis e naribus amiſit et primum ab epilepſia liber fuit. Poſtea adhuc decem Belladonnae pulueres conſumſit et ſanitatem recuperauit integerrimam. —

i) I. D. puer annorum 2 poſt morbillos epilepſia laborans, nouem Belladonnae pulueribus ponderis grani vnius - 2 ab illa liberatus eſt.

k) I. I. puer 12 annorum iam per ſex annos poſt materiem in corpore retentam varioloſam epilepticus, nonnunquam de die ter quaterque ab epilepſia afflictus, interdum per hebdomadem ab illa liber, nouem Belladonnae pulueres ponderis gr. 3. 4. et 5. conſumſit, et iam per duos menſes nullum adfuit epilepſiae veſtigium.

5. *Quae ipſe obſeruaui.*

I. G. iuuenis 24 annorum, qui iam per octo annos epilepſia laborauerat, cuique iamiam fere omnia contra huncce morbum laudata remedia propinata erant, ſed fere nullo cum leuamine, qui de die ſexies et noctu adhuc pluribus vicibus ab hoc morbo affligebatur, cuius ſenſus interni a tam multis epilepſiae paroxiſmis valde afficiebantur, cuius facies tumida atque flaua, cuius abdomen tumidum atque durum obſtructiones indicabant, poſt vomitorium ex tartaro emetico et purgans ex ſale mirab. Glauberi Belladonna vti coepit. Poſt doſin primam, ſecundam et tertiam pulueris foliorum Belladonnae ponderis gr. 6. 7 et 8.

morbi

morbi augmentum, poſt quartam et quintam autem ponderis gr. 10 et 11. morbi leuamen. Die 16 iunii 1783 quum ſextam huius pulueris ſumſiſſet doſin ponderis gr. 10 de die ab epilepſiae paroxysmis liber erat, ſed noctu adhuc affligebatur. Quum ſeſe ſigna ſordium oſtenderent, illi purgans ex ſale mirab. Glaub. propinabam, quod magnam ſordium copiam euacuauit. Die 18 iunii ſeptimo puluere ponderis gr. 11. noctu ſumto, etiam paroxysmi nocturni euanuerunt. Per ſex hebdomades ab omni epilepſiae inſultu liber erat, nihilque, niſi duabus vicibus purgans ex ſale mirab. Glaub. ſumſit. Poſtea roborantia a medico quodam illi data, epilepſiam reuocarunt, ſed tamen rarius et mitius ab illa corripiebatur.

THESES.

I.

Amputatio ſaepius reiicienda quam inſtituenda eſt.

II.

Venaeſectio in febre putrida repetita valde periculoſa eſt.

III.

Peluis oſſea in partu ampliatur.

IV.

Mercurius ſublimatus corruſiuus parua doſi longe continuatus tanquam venenum lentum timendus eſt.

V.

Exſtirpatio polypi narium ligaturae praeferenda.

VI.

Icterus ab abundantia purlicularum bilioſarum in ſanguine oritur.

VII.

Ligatura arteriarum belli tempore compreſſorio, quod tampon vocant, anteponenda.

VIII.

VIII.

Epilepſia infantes et ſexum foemineum ſaepius quam reliquos afficit.

IX.

Inciſio variolarum non ſemper reiicienda eſt.

X.

Ope fomentationum frigidarum in vulneribus capitis fere ſemper trepano carere poſſumus.

XI.

In hydrope aſcite fere ſemper paracenteſin abdominis inſtituendam credo.

XII.

Manus obſtetricis erudita inſtrumenta fere omnia inutilia reddit.

XIII.

Ignominiam infanticidii fere vnicam agnoſco cauſam.